



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

4. Fortitudo Iosephi in adultera repellenda.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45686**

dire suos, sed etiam feminarum oculos cauere. Neque enim videre duntaxat, sed etiam videri, est periculosum; & illi quoque, qui nolunt amari adamantur.

Et vide mihi mulieris impudentiam: *Dormi mecum*, ait. Alijs satis est nucus, satis comior aspectus, hæc catapulta fuit, & aperta ad stuprum inuitatio. Neque tamen fortissimam hanc columnam deiecit. Nulla igitur excusatio est, dicere, *se fuisse ultro compellatum, negare non potuisse*, sicut quidam bellidux Martis æquè in lustris, ac in campis imitator respondit. Quidquid inhonestè petitur, honestè negatur. Obiecit hoc illi exemplum alius. Dixit, *se Iosephum non esse*. Apparebat sanè, nam & de adulterijs gloriabatur. Erat tamen Christianus, erat, cui suus Princeps multos, Deus multa subiecerat, potuit ergo dicere: *Ecce dominus meus, omnibus mihi traditis*, tam mihi propensus est, ut etiã liberalissimo hospitio, lautissimo conuiuio exceperit, claues ipsas domus obtulerit, *nec quidquam est, quod non in mea sit potestate, vel non tradiderit mihi, præter te, quæ uxor eius es: quomodo ergo possum hoc malum facere, & peccare in Deum meum?* Seruus tunc erat Ioseph, nec tamen Dominam veritus est; & Dux talis, Achilles talis, immò tale libidinis mancipium adulteram rogantè non audeat repadiare? Iuuenis erat Ioseph, & decorus aspectu, & tamen potuit voluptatem contemnere; tu jam canescens senecio, tu Therfites, tu omnibus morbis obnoxie, fidem vxori tuæ datam non potes seruare; immò ut & adultera fidem irritam reddat, iuuas? Non metuis illius maritum, non times deprehendi? immò quid hominem timeres, qui Deum non times? Disce, miser, orare: *Confige timore tuo carnes meas: à iudicijs enim tuis timui*: tunc enim etiam, timebis peccare in Deum tuum; neque annues primis, neque continuatis illecebris, ut de te etiam dici possit: *Huiusmodi verbis, per singulos dies, & mulier molesta erat adolescenti, & ille recusabat stuprum.*

Adeò inuicta erat Iosephi constantia. Siquidem, ut illa pertinax erat petendo, ita ille fortis fuit repellendo. Hæc virtus ad omnem necessaria est virtutem. Quid enim cepisse iuua? *Gutta vna non lædit, multis ipsa laxa cauantur. Nec*

Ccc 2

forti-

IV.

Psal. 112;

V.